Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

homicide. Tunna comesque paucis
secum assumptis cubiculi quo dei fa-
mula incumbebant ostium dirumpentes
ingrediuntur bachantes. Quibus beata
ludmilla humili sub voce dixit.
Quenam vos inquit repentina in-
sania agitat. Et non erubescitis neque
mente pertractatis quemadmodum
egomet vos ceu filios proprios educavi.
auro argentoque vestibusque insignibus
ditavi. Verum si qua in vobis mea
iniquitas mea est. michi intimate queso. At
illi furentes saxis rigidiores. aures
ad hec obdurantes. non veriti sunt manus
proprias meam inicere. lectoque extractam
terretenus proiecerunt. Quibus illa pau-
lisper inquit orationem me incumbere sini-
te. Quibus hoc concedentibus expansis ora-
vit ad dominum manibus. Post hec inquit.
Mei interitus causa si advenistis.
obsecro mucrone auferte caput. Ex-
emplo martirum sanguinem fundendo testi-
monium christo perhibere gestiens. ac
palmam martirii cum ipsis sine fine per-
cipere optans. quam etiam eam promeruisse
non dubitamus. quoniam sacra testante
scriptura. iustus quacumque morte preoccu-
patus fuerit in refrigerio erit anima
eius. Funesti igitur carnifices preces eius
ubique spernentes. fune gutturi eius immis-
so. suffocatione vitam illi abstulerunt
presentem, victura in evum cum eo quem sem-
per dilexerit ihesu christo domino. Suscepit autem
martirium felix deoque devota famula
septima sabbati die xvii kalendas octobris prima
vigilia noctis. Clerici vero eius cuncti omni-
sque vernaculi utriusque sexus pastore per-
empto in diversa sparsi. diversis in la-
tibulis latitantes vitam presentem
sibimet conservavere.

Post hec recedentibus crudelissi-
mis carnificibus ad funus eius
officium cum magno metu et ululatu con-
venientes. honestissimeque cuncta que
ad sepulturam fore cernebant peragentes.
terre glebam eius sacratissimam commendaverunt.
Cruentissimi vero carnifices spoliis di-
reptis. dominam ad propriam regressi. gaudium
illi permaximum intulerunt deinceps in evum
estimantes se in eternum locupletari. atque
in eternum victuros. quibus atrocia et inex-
tinguibilia gehenne ignis supplicia pre-
parata mox inerant. Prefata autem domina
presidium usurpans supellectilem socrus
sue cunctam cum ante fatis tyrannis reg-
nare cepit. ditans eos propinquosque eorum
ac familiam opibus eximiis auri argenti-
que vesteque preciosa inestimabili. regna-
veruntque in tota provincia boemorum.
velut magnifici duces. sed non ex deo.
Quibus opipare viventibus atque inesti-
mabiliter gaudentibus letantibusque ultio
iusta divine vindicte impulse subsequitur
impios. qui tam grande tamque crudele
piaculum non horruerunt patrare. quod manus
suas inhonestissimas in preclarissimam dei
famulam moverent absque causa. Nam
cum patre suo principe discordiam diabo-
lo exagitante coevos coetaneosque ce-
perunt contemptui habere omnes. Qua de re
excrevit dissensio odiumque permaximum
in ipsos primarios supranotatos. Tun-
nam videlicet gomonemque dominamque ipsorum.
ita ut omnis cogitatus sermoque ducis de in-
teritu eorum die noctuque versaretur. Quod
cernens memoratus tunna tyrannus ir-
ruente in se pavore horribili. cunctis cum
sibimet affinitate iunctis ex eadem
provincia labens. fuga omnibus exosus
vagus profugusque huc illucque versatus est.